

notationibus: periculum esse ne maiestas sacrae  
Facultatis, quae tota scilicet erronea possessione  
constat, destrueretur. Clam à nonnullis minus  
improbis admoneor ut mihi caueam & prospiciam.  
Rumor maximus inter venerandi ordinis  
homines, me impressisse sine permissu Facultatis,  
cui me subiici oporteret, quatumuis impressor  
Regius essem. Prius quam cominus certandum ca-  
pitis mei periculo esset, profectus in aulam re-  
gis Francisci, ut principiis obstarem, post obla-  
tum ipsi Regi Eusebij volumen Graecum, circiter  
M. D. XLVI (quo tempore & Psalterium à  
nobis excusum est cum annotationibus) admo-  
neo Petrum Castellanum, tunc Matisconensem  
episcopum, nescio quid Theologos insusurrare  
aduersum me, futurum ut breui persuadeant vel  
Curiae, vel urbis Praefecto, ut venditio Bibliorum  
cum annotationibus mihi interdicator: quaedam  
illic esse quae non placerent ipsis. Quum homi-  
nem in bona causa plus satis timidum, viderem  
quid in hac re consilij daret dubitare: dico me li-  
benter impressurum ad calcem quicquid à Theolo-  
gis vitij deprehensum esset, adiecta censura: me  
non pudere, neque grauatim facturum: ut sic